



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Vt defunctis Eucharistia non detur. xxxi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

De pane qui offerendus est. Cap. XXIX.

Panes quos deo in sacrificiū offertis, aut à vobismet- *Ex decr.*
 ipsis, aut à vestris pueris coram vobis nitidè ac stu- *Anitij pa*
 diosè fiant, & diligenter obseruetur, vt panis, & vinum, & *pa, ca. 3.*
 aqua, sine quibus Missæ nequeunt celebrari, mundissimè
 atque studiosè tractentur, & nihil in eis vile, nihil nõ pro-
 batū inueniatur, iuxta illud quod ait scriptura: Sit timor
 domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite.

*De presbyteris qui corpus dominicum ad deferendum
 infirmis mulierculis tradunt. Cap. XXX.*

Pervenit ad notitiam nostram, quòd quidam presbyte- *Ex cõcil.*
 ri intantum paruipendant diuina mysteria, vt laico, *Remensi,*
 aut sceminae sacrum corpus domini tradant ad deferen- *cap. 2.*
 dum infirmis, & quibus prohibetur, ne sacrariū ingrediā-
 tur, nec ad altare appropinquent, illis sancta sanctorū cõ-
 mittuntur. Quòd quàm sit horribile, quàm detestabile om-
 nium religiosorum animaduertit prudentia. Igitur in-
 terdicat per omnia synodus, ne talis temeraria præsum-
 ptio ulterius fiat, sed omnimodis presbyter per semetip-
 sum infirmum communicet. Quòd si aliter fecerit, gradus
 sui periculo subiacebit.

Vt defunctis Eucharistia non detur. Cap. XXXI.

Item placuit, vt corporibus defunctorū Eucharistia nõ *Ex cõcil.*
 detur, Scriptū est enim: Accipite, & edite. Cadauera au- *Cartha-*
 tem, nec accipere possunt, nec edere: Et nec iam mortuos *gi. cap. 6.*
 homines baptizari faciat presbyterorum ignauia.

Vt oblationes in maioribus festis ab omnibus æqua-
nimiter fiant. Cap. XXXII.

In synodo Matisicensi decretum est, vt in omnibus die- *Ex cõcil.*
 bus dominicis, aliisq; festiuitatibus oblatio ab omni- *Matisicē.*
 bus, qui ad Missam conuenerint, vtriusque sexus offeratur *cap. 50.*
 in Ecclesia, singuli singulas oblationes offerentes. Finita
 Missa à presbytero oblationes accipiant. Omnis autem qui
 hanc diffinitionem per inobedientiam euacuare præsum-
 pserit, anathemate percellatur.

Quòd ministris altaris supra altare solis com-
municare liceat. Cap. XXXIII.

Solis autem ministris sacro ordini deditis ad altare ac- *Ex cõcil.*
 cedere, & communicare liceat. *Laodicē.*